

7/82.

24.9

SEPTUAGINTA  
CONTROVERSIAE SELECTAE,

1662, 3

*Quas*

**EX JURE DIVINO,**  
NATURALI, GENTIUM, CIVILI,  
CANONICO, PUBLICO, FEUDALI

*depromptas,*

SUB DIVINI NUMINIS PRÆSIDIO

*Ex*

*Decreto, Authoritate & Consensu Nobilissimi,  
Amplissimi & Excellentissimi Jctorum  
Ordinis, in celeberrima & perantiqua  
Rauracorum Academia,*

Pro

SUMMIS HONORIBUS & PRIVILEGIIS  
Doctoralibus in utroque Jure, Cæsareo &  
Pontificio, solemniter & legitime  
consequendis,

22

*Publicè discutiendas proponit*

MATTHIAS JORGENA  
Embdensis:

<sup>17</sup>  
Die 15. OCTOBRIS Ann. MDCLXII.  
horis locoque ordinariis.

---

BASILEÆ, Typis JOH. JACOBI DECKERI,  
Academiae Typographi.





VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis,  
Consultissimis & Prudentissimis*

DNN. CONSULIBUS

ET

DNN. SENATORIBUS

inclutæ ad Amasum Reip. Embdanæ,  
Patriæ Patribus vigilantissimis,  
meritissimis,

Fautoribus & Promotoribus suis,

devoto venerationis cultu ætatem omnem  
prosequendis,

has Inaugurales Controversias

*humiliter offert &  
inscribit*

MATTHIAS JORGENA.



P R O O E M I U M.

**D**eliberatum ac propositum mihi erat jam à longo tempore ex aliorum suasu & consilio, de utilissimo Edicto remedioq; Praetorio Nuntiationis novi operis, Dissertationem Inauguralem conscribere. Verùm cum hanc materiam non aequè ut aliam disputabilem esse, & ideo etiam rarò in publicis exercitiis ventilari deprehenderem, ab instituto meo non ita pridem recessi; subnascens desiderium, varias & illustres evolvere Controversias, magis estimans. Hacpropter decrevi tandem praesentem hanc Disputationem ex insignioribus nonnullis quaestionibus, ex omni Jure desumptis, conficere, eamq; publicæ & solenni Eruditorum disquisitioni, cui varietas est gratior, submittere. Ne tamen in immensum hæc ipsa excresceret, consultum credidi, omissis & in disputandi tempus rejectis, quæ pro agentis vel negantis sententiæ assertionem in utramq; partem varia & multiplicia moveri possent, argumentis, simpliciter saltem de illis meam & aliorum consentientium vel dissentientium opinionem referre, brevi hinc inde, ubi opus esse videtur, explicatione aut distinctione adhibitâ. Quæ omnia ut juxta mentem votumq; succedant, clementer faxit  
S. Sancta Trias.



SELECTAR. CONTROVERS.  
EX  
JURE DIVINO  
PRIMA.



AN cum fratris aut sororis uxoris suæ five leviri vel gloris filia nuptias contrahere liceat? Negant hoc DD. communiter & imprimis Arnold. Vinn. *select. quest. jur. lib. 2. quest. 13.* Mihi tamen affirmantium opinio non improbabiler videtur defendi posse; secundum quam & olim Dnn. Ordines Hollandiæ per modum dispensationis supplicanti alicui permisisse, ut filiam gloris uxorem duceret, testes sunt Hug. Grot. *l. 1. introd. ad jurispr. Batav. cap. 5.* & Coren *consil. 21. num. 27. & 28.* quanquam postea aliis idem petentibus id denegatum fuisse refert Vinn. *d. q. 13. in fin.* Vid. Grot. *de jure bell. & pac. lib. 2. cap. 5. n. 14.* ubi nec fratris filiam in uxorem ducere Lege Mosaica vetitum ait & talem Abrahamo Saram fuisse ex Josepho memorat *in annot. d. loc.* Non male tamen sentire opinor illos, qui tutius esse docent, ut quis ab his & similibus nuptiis absteineat.

II.

AN consensus parentum sit de substantia matrimonii liberorum?

Affirmo pertradita à Guilielm. Amef. *de casib. conscient. libr. 5. c. 35. num. 29. & seqq.* Basil. Monner. *de clandestin. conjug. tract. poster. cap. 8.* Daniel Moller. *lib. 1. semestr. cap. fin.* Matth. Wesenbec. *ad tit. ff. de ritu nupt. num. 8. vers. caterum jus Divinum.* Quirin. Kubach. *quest. illustr. centur. 2. decur. 1. quest. 3.* Rittershus. *in different. jur. Civ. & Canon. lib. 1. c. 2.* Bronchorst. *centur. 2. assert.*

sert. 15. Dissentiunt vehementer Pontificii, anathemate damnantes illos, qui sententiam hanc nostram amplectuntur, *Concil. Trident. sess. 24.* adeò ut nec statuto caveri posse de requirendo parentum consensu magno nisu contendat Decius in *l. nuptias 30. de R. J. num. 9. & seqq.* eumque secutus Covarruvias de *sponsal. part. 2. cap. 3. §. 8. num. 6.* Dissentit etiam Hahn. in *observat. ad Wesenb. ff. de ritu nupt. n. 3. ad verb. horum enim consensus.* & plures ibidem citati, quibus suffragari videtur H. Grot. d. *jur. bell. & pac. lib. 2. c. 5. n. 10. in fin.*

### III.

An cum infidelibus fœdera belli tam offensiva quàm defensiva contra Christianos suæq; religioni addictos aliquando inire liceat?

Affirmo per ea, quæ habet H. Grot. d. *jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 15. n. 9. & seqq.* & Ames. de *cas. consc. lib. 5. c. 33. th. 19. & c.* Negant hoc plerique Theologi, permitta solummodo agentes cum infidelibus, & hoc sub certis conditionibus, fœdera pacis & commerciorum ac belli defensiva, vel etiam offensiva contra alios infideles. Et hanc negativam adeo tuetur Sigismund. *Sinckelthaus de feud. disp. 4. contrav. 9. lit. b.* ut nec ad sui defensionem Principem Christianum ex fœderatis infidelibus milites contra alios Christianos conscribere posse contendat; quod tamen simpliciter ita intellectum falsissimum ego pronuntiare non dubito.

### IV.

An in proelio maritimo navi ab hostibus devictâ, nautis, ne in potestatem illorum perveniant, injecto igne in pulverem pyrium, unâ cum navi seipso comburere liceat?

Acriter admodum & sæpe in Belgio disputata fuit hæc quaestio, his simpliciter eam affirmantibus, illis negantibus, aliis distinguentibus. Mihi affirmantium sententia verior esse videtur, quam etiam sequitur Ames. *lib. 5. de cas. consc. cap. 31. num. 14.* & Clariss. Dn. Maref. *system. Theolog. loc. 7. de lege Dei. §. 52.*

An Judex secundum acta & probata, an verò secundum conscientiam, tam in absolvendo quàm condemnando & tam in causa civili quàm criminali, judicare debeat?

Ad absolvendum quod attinet five in civili five in criminali causa, in eo DD. conveniunt, quòd Judex nec teneatur nec possit eum absolvere, qui publicè nocens probatur, licet eum privatim certò sciat innocentem, *Zœs. ad tit. ff. de judic. num. 49.* Sed quantum ad condemnandum, *Zœs. d. tit. num. 50.* communiorè ait esse sententiam, quòd in causis civilibus & criminalibus levioribus judex judicare possit secundum acta & allegata, non verò secundum conscientiam, & hanc opinionem à *Zœsio* hìc defensam probat etiam *Angel. ad §. si minus. 34. n. 4. Inst. de act.* sed eandem impugnat *Panorm. in c. Pastoralis. 29. §. quia verò inf. X. de offic. deleg.* In causis criminalibus gravioribus, ut puta si quæstio sit de pœna capitali, aut mutilatione membrorum, utrùm Judex secundum publicam, an verò privatam scientiam judicare debeat, acrius DD. disputant. Prius affirmant *Covarruv. 1. var. resol. c. 1. n. 4. Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 12. th. 14. lit. E. & F. & DD. communiter in l. illicitas 6. de off. pres.* quibus etiam accedit *Hornej. Ethic. lib. 4. cap. 4. n. 10. & seqq.* ubi copiosè hæc quæstio tractata videri potest. Posterius docent *Panormit. in d. c. pastoralis. 29. Angel. ad d. §. 34. n. 4. & alii,* quos citat *Covarruv. d. c. 1.* quibus adde *Hanedœs. exerc. Imper. 29. quæst. 7.* ubi de jure Divino & humano indistinctè asserit, judicem spretis actis & probatis secundum conscientiam judicari teneri. Verùm enim verò mihi absolute statuendum videtur, quòd nec secundum acta, neq; secundum conscientiam judex sententiam dicere debeat, sed potius negotium ad superiorem remittere, aut manus suam deponere & testis officio fungi, juxta sententiam *Jacobi Magnæ Britannia Regis apud Isaac Wake in Rege Platonico pag. 119.* Si tamen Judex superiorem non agnoscat, posse eum, posthabitis iis, quæ acta aut probata sunt, judicare juxta scientiam suam privatam, indubium mihi videtur, quamvis & hoc neget *Zœs. hìc n. 57. circa fin. Videri potest*



potest pro sententia nostra Alciat. ad l. inter hac verba. 179. n. 6. de  
V. S. Horom. quest. illustr. 27. circa fin. Cujac. 12. observ. 19. Bron-  
chorst. cent. 1. assert. 9. in fin. Wendelin. de philos. moral. cap. 30. S.  
57. & seqq. Amel. de cas. consc. lib. 5. c. 54. quest. 5. & in primis Vir  
Nobilis. Excellentis. & Celeberrimus Dn. Jacobus Brand-  
myllerus, in Manuduct. ad Jus Canon. & Civ. in different. Sententia  
non sit conformis &c.

## VI.

An Torturæ usus sit licitus?

Affirmo cum Leonard. Lefs. d. just. & jur. lib. 2. c. 29. n. 151. *Post. lubrica e, ut rationi  
vixit iustitie & quadrat.*  
Zanger. tr. de quest. s. tortur. reor. in proem. n. 13. & seqq. Besold. *Apud Israelitas nulla est  
minime qdæ vestigium.*  
in thesaur. pract. v. peinliche frag. n. 10. Hahn. ad Wes. ff. de quest.  
num. 2. & Claris. Dn. Brandmyllero in Manud. ad Jus Can. &  
Civ. in different. Questio sive tortura &c. ubi fuse latè que hanc quæ-  
stionem pertractat; varia à diversis gentibus usurpata tormen-  
torum genera refert, ac quibus potissimum Judex & quando iis  
uti debeat, optimè demonstrat, quæq; à dissentientibus in con-  
trarium moventur argumenta, solide resolvit & refutat. Vid.  
pro contraria opinione Wilhelm. Zepper. in explanatione LL. Mo-  
saicar. l. 5. c. 10. Keckerman. in curs. philosoph. disp. 32. probl. 4. Ba-  
chov. ad Wes. d. tit. n. 2. Anton. Matth. ad tit. de quest. c. 5. & Ja-  
cob. Schaller. in paradox. de tortur. in Christian. Rep. non exercend.

## VII.

Si testamentum non nisi unicâ fortè careat solenni-  
tate juris Civilis ut si in illo quinque, duntaxat vel sex  
fuerint adhibiti testes, vel septem quidem, sed qui spe-  
cialiter non fuerint rogati, aut tantum subscripserint,  
non etiam obsignaverint; utrùm hæres ab intestato,  
cui de mente & voluntate testatoris constat, eam im-  
plere teneatur in foro conscientia?

Affirmat hoc Bartolus in l. nemo 55. de leg. 1. num. 17. Molina  
de justit. & jur. tract. 2. disput. 81. Lefs. 2. de just. & jur. c. 19. dub. 3.  
Mantic. libr. 2. de conjectur. ult. volunt. tit. 14. num. 9. Vasq. de suc-  
cess. creat. lib. 1. S. 1. num. 23. & seqq. Covarruvias in c. cum esses. X.  
de testam. Christin. vol. 4. decis. 34. Fachinæ. 4. controver. 5. Rit-  
tershu-

tershusius in different. jur. civil. & canon. lib. 4. c. 10. Bachovius ad Tr. vol. 2. disp. 10. th. 5. lit. A. Zœs. ad tit. ff. qui testam. fac. poss. n. 43. Grot. de jur. bell. & pac. lib. 3. c. 7. num. 6. Vinn. ad S. 3. Inst. de testam. ord. num. 8. & Ames. de cas. consc. lib. 5. c. 41. n. 13. Negant Domin. Soto. lib. 4. de just. & jur. quest. 5. Clar. 3. sentent. quest. 90. num. 5. Treutl. cit. loc. aliique plures ibidem relati, quibus accedit Hahn. in observ. ad Wes. ff. de testam. num. 13. v. maritus & uxor. & horum sententiam ego probabiliorem puto.

### VIII.

An illicitæ sint stipulationes sive pacta de usuris lucratoriis.

Jus Canon. in c. quoniam 8. caus. 14. quest. 4. ejusque Interpretes, Scholastici item & Theologi Pontificii morales, in univ. verum omnes usuras improbas & injustas atque juri Divino contrarias esse pronuntiant: Quorum sententia approbata est in Constitutionib. Imperii, in quibus non nisi Judæis usuras & quidem non ultra quincunces stipulari permissum est. Reformat. Polit. de Anno 1577. tit. 20. S. damit aber. quamvis à tempore moræ Christianos quoque loco interesse s. pro centum annuatim exigere posse statutum sit in ead. Refor. tit. von Wucherlichen contracten, 17. item in Recess. Deput. de Anno 1600. S. So viel nun. atq; ideo etiam Camera Imperialis ad producta instrumenta mutui cum pacto de usuris mandata de solvendo S. C. non decernit, donec pacto illi fuerit renuntiatum. Guil. Roding. Pandect. Camer. ad auct. lib. 3. tit. 6. S. 15. in fin. Et in hanc sententiam quoque descendit Hotom. quest. illustr. 40. Wesenb. ad tit. ff. de usur. n. 5. ibiq; Bachovius idemq; ad Tr. vol. 2. disp. 3. th. 1. lit. B. Zœsius ff. eod. num. 7. & Grot. de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 12. n. 20. Contrarium autem propugnat Ames. lib. 5. de cas. consc. cap. 44. q. 2. Bronchorst. cent. 1. assert. 99. Frantzk. exerc. jur. 9. quest. 4. & Hahn in observ. ad par. Wes. ff. de usur. n. 5. ita tamen, ut excipiant usuras immodicas, quas etiam leges civiles improbant, & illas, quas divites à pauperibus extorquent, ut quæ charitati Christianæ directò adversantur: & horum sententiam ego longè veriore arbitror, quam etiam in usuris usurarum procedere statuo.

Statuo cum Ernest. Cothman. 4. *consil.* 41. quamvis quoad has  
ferè nemo non DD. dissentiat.

IX.

An liceat cuiquam rem viliùs emere aut cariùs ven-  
dere?

Simpliciter hoc negandum cenſeo, ita ut licèt tempore con-  
tractùs uterq; contrahentium autumaverit rem juſtiſſimo pre-  
tio ab ipſis æſtimari & ſic neuter animum decipiendi alterum  
habuerit, ſi tamen de valore poſtea aliter conſtiterit, ab eo, qui  
lucrum ſenſit, illud extorqueri poſſit. Et ita ſtatuunt Covar-  
rur. *lib. 2. var. reſol. cap. 4. n. 11.* Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 12. n. 8. 11. 12. & 14.* Wendelin. *philof. moral. lib. 1. c. 30. q. 21. & 22.* Hahn. *ad Weſ. ff. de contrah. empt. n. 12. v. item ſi contra pretium.* Diſſentiunt DD. variè, ut videre eſt apud Hahn. *modò d. loc.* in-  
ter quos etiam eſt Frantzk. *exerc. 11. quaſt. 3. n. 20.* ubi nequic-  
quam in conſcientia reſtitui debere ait ab emptore, ſi fortè res,  
quæ infra valorem vendita eſt, ampliùs non extet, vel in alios  
uſus converſa ſit, præſertim ſi majori pretio, quo emit,  
rem empturus non fuiſſet. Procedit autem ſententia noſtra  
etiam in caſu, quo contrahentes ambo ab initio ſciverunt va-  
lorem rei venditæ, ſed venditor neceſſitate aliquâ compulſus  
rem minoris vendidit, vel emptor majoris emit: quamvis enim  
hoc caſu Jure Civili ne quidem ultra dimidium læſo ſuccurri  
verius ſit, de jure tamen Divino & naturali damnum paſſo id re-  
ſarciri debet.

X.

An Princeps vel magiſtratus pœnam Lege Divinâ  
capitalem facere poſſit non capitalem, & contra an  
non capitalem in capitalem mutare queat?

Negant hoc in primis Wendelin. *d. philof. moral. lib. 1. c. 30. quaſt. 13. & 14.* & quem ibi citat Rivet. *in explic. Decalogi. p. 363.* nec non Amef. *de caſ. conſc. lib. 5. cap. 52. quaſt. 1.* Quorum ſenten-  
tiam cum ego veriſſimam eſſe perſuaſum habeam, prorsus diſ-  
ſentire cogor ab illis Judicibus, qui paſſim adulteria capitaliter  
hodie non puniunt, ſed vel planè condonant, vel exilio tantùm

B

68  
aut poenâ pecuniariâ vindicant, furta verò etiam in locis, ubi  
parum frequentia sunt, ultimo supplicio coërcere non du-  
bitant.

## EX JURE NATURALI ET GENTIUM.

*Controv. I.*

An Matrimonium inter fratrem & sororem de jure  
Naturæ sit prohibitum?

Affirmat hoc Sutholt *diff. ad Inst. 2. aphor. 35.* Wel. *ff. de ritu nupt. n. 4.* Zæf. *ad eund. tit. n. 14.* Treutler. *vol. 2. disp. 6. th. 2. lit. e.* Joh. à Felden. *in annot. in H. Grot. lib. 2. c. 5. n. 13.* aliiq; complures  
Vid. Hahn. *ad Wes. d. loc. v. primo gradu.* ubi tamen hanc opi-  
nionem rejicit, contrariam rectius amplexus cum Thoma *se-  
cund. 2. quest. 154. art. 9.* Selden. *de jure natur. & gent. juxta di-  
sciplin. Ebra. l. 5. c. 8.* Pont. *de matrim. libr. 7. c. 32. num. 3. &  
seq. Navarra consil. 14. num. 3. X. de sponsal. & Bachov. ad Tr. d. vol. 2. disp. 6. th. 2. lit. E. v. adeoq; prohibitiones.*

II.

An Polygamia huic juri repugnet?

Polygamiam illam, quâ fœmina duos vel plures habet mari-  
tos, contra naturam esse, nullus uti reor, est qui dubitat; illam ve-  
rò, quâ vir aliquis plures sibi junctas habet uxores, non tantum  
non juri naturæ, sed nec juri Divino Veteris Testamenti con-  
trariari arbitror cum H. Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 5. n. 9.* Zan-  
chez. *lib. 7. disp. 80. n. 8.* Pont. *de matrim. lib. 4. c. 47. & Wesen. in par. ff. de ritu nupt. n. 4.* Dissentit Arnif. *de jur. connub. cap. 4. sect. 2.* Kubach. *illustr. quest. decur. 10. q. 8.* Amef. *de casib. consc. lib. 5. c. 35. th. 6. 7. & seqq. usq; ad 14.* Joh. à Felden *in annot. ad Grot. præcit. loc.*

III.

An Jus Publicum sit deductum tam ex præceptis  
naturalibus & gentium, quàm ex præceptis civilibus?

Affirmo cum Gœdd. *ad l. 6. n. 11. de V. S.* Giphan. Vultej. Ho-  
tom. &

tom. & aliis, ad *S. fin. Inst. de just. & jur.* Joh. Limnæ. *tr. de jur. publ.* lib. 1. c. 1. n. 17. & Hahn. ad *Wes. ff. de just. & jur.* n. 14. v. facile ut intelligi possit. p. m. 64. & 65. Dissentiunt multi, quos inter Cujac. ad l. 1. *S. 2. ff. de just. & jur.* Connan. lib. 1. comm. 4. Alciat. 1. *parerg.* 31. Tim. Fab. *disp. 1. annivers. ad Inst. th. fin.* Treutl. vol. 1. *disp. 1. th. 3. lit. b.* Mynsing. ad d. *S. f. Inst. de J. & J.* Wesenb. in *par. ff. eod. n. 14.* & ibidem *Zœf. n. 23.*

#### IV.

An Præscriptiones, præsertim illæ, in quibus Jure Civili bona fides nunquam requiritur, justitiæ naturali adversentur?

Affirmantem sententiam magnopere propugnat Ames. lib. 5. *de cas. consc. c. 41. n. 19. 20. 21. & 22.* quam itidem latè & prolixè defendendam suscipit Quirin. Kubach. *quest. illustr. cent. 2. decur. 6. quest. 1.* Cæterum ego veriores esse censeo sententiam illorū, qui absolutè & simpliciter omnem præscriptionem jure civili introductam, etiam de jure naturæ & in foro poli, licitam pronunciant; quos inter videre licet Cagn. in *l. jure natura. 206. de R. J.* Pinell. in *auth. Nisi tricennalis. C. de bon. mater.* Donel. 5. *com. 30.* Vasq. *illustr. contr. lib. 1. c. 52.* Vult. ad *pr. Inst. de usuc. & præscr. ibiq.* Mynsing. Schneid. & alios. Coler. ad *rubr. X. de præscript. n. 14. & seqq.* Arum. *exerc. ad Inst. 6. quest. 1.* & Hahn. in *obs. ad Wes. ad tit. ff. de usurp. & usuc. n. 9. inf.*

#### V.

An justum sit bellum adversus eos, qui legem naturæ vel gentium immaniter violant, ut e. c. adversus eos, qui humanam carnem deglutiunt, piraticam exercent, sodomiam, incestum, vel aliud quippiam horrendum contra naturam committunt?

Negant Victor. Vasq. Azor. Molin. Covar. aliiq; citati à Grot. lib. 2. *de jur. bell. & pac. cap. 20. n. 40. & 44.* qui requirunt ab eo, qui alteri bellum intentat, ut aut læsus sit in se, aut in Rep. sua, aut ut in eum, qui bello impetitur, jurisdictionem habeat, alioquin bellum illud injustum pronuntiant. Contrarium tamen sentit

Innocent. III. in cap. quod super his. 8. X. de voto & voti redemp. cumq;  
securus Hug. Grot. in cit. cap. 20. n. 40. ubi simpliciter & rectè  
questionem affirmat.

VI.

An pro subditis alienis hac solùm de causa, ut ab ipsis  
arceatur imperantis injuria, in hunc bellum licitè mo-  
veri possit?

Affirmo cum Grot. de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 25. num. 8. Quam-  
vis enim nonnulli arbitrentur, ne quidem in extrema neces-  
sitate in Principem arma rectè sumi à subditis; per alios tamen  
ab injuria eos defendi, armatà quantumvis manu rationi natu-  
rali minimè contrarium puto.

VII.

An ob denegatam à Principe justitiam adversus  
subditos ipsius repressaliis aut pignorationibus uti  
æquitati naturali repugnet?

Nego per tradita à Guid. Pap. decis. 32. num. 1. Bartol. tr. de re-  
pressal. circa princ. Mynsing. 6. obs. 1. Gail. 1. Obs. 28. in fin. Mindan.  
lib. 1. d. Process. c. 48. membr. 2. Coler. de execut. process. part. 1. cap. 2.  
n. 272. Bachov. lib. 2. de pignor. cap. 12. n. 5. sibi contrario ad Tr.  
vol. 2. disp. 1. th. 5. lit. G. & Quirin. Kubach. quest. illustr. cent. 3.  
decur. 2. quest. 1. Dissentit Coler. d. cap. 2. num. 284. & seqq. Coth-  
man. vol. 2. resp. 33. n. 120. Strein. in Summ. Juris Can. part. 3. tit. 12.  
de execut. priv. §. 2. Vid. Excellentiss. Dn. Jacob. Brandmyller. in  
Manud. ad Jus Canon. & Civ. in differ. Repressalia. & in differ. Subditi  
in caus. repressal. &c.

VIII.

An subditus justitiam belli non satis edoctus de eaq;  
dubitans Principi suo, ut in hostem arma gerat, juben-  
ti parere debeat?

Affirmant hoc plerique DD. teste Grotio lib. 2. de jur. bell. &  
pac. cap. 26. num. 4. quos inter Amesius lib. 5. de cas. cons. cap. 33. th.  
17. eminent. Contrarium tamen verius existimo cum eod. Grot.  
d. loc. quem latius ibidem vide.

IX. An

## IX.

An distinctio dominiorum sit ex jure naturali, vel an demum jure gentium voluntario, quod ab aliis secundarium vocari solet, introducta sit?

Prius negandum, posterius verò affirmandum existimaverint cum G<sup>o</sup> hauf. per. Acad. 1. quest. 9. pag. 28. H. Grot. lib. 2. de jur. bell. & pac. c. 2. n. 2. Arnold. Vinn. ad §. 2. Inst. de jur. nat. gent. & civ. n. 3. Wesenb. in par. ff. de just. & jur. n. 15. & 16. ibiq. Hahn. Dissentit hic in primis Georg. Frantzk. exerc. jur. 1. quest. 6. & Joh. à Felden in annot. in Grot. alleg. loc. v. simul discimus.

obst. qd usu exigente  
vel humanis necessitate  
tūq. etc.

## X.

An mare possit esse in dominio.

Distinguo cum Frantzkio exerc. jurid. 4. quest. 1. Nam aut quæstio est de sinu aut freto sive mari aliquo interiori, certis finibus & littoribus distincto, quale cum terris, quas alluit, comparatum, portio earum esse videtur; & hujus dominium vindicare sibi posse Principes aut Populos, quorum terris infusum est, affirmo, ita tamen ut dominium istud non proprietatis, sed jurisdictionis esse credam: aut quæstio est de mari exteriori, cui vulgò Oceano nomen est, & hoc sive sumatur sub ratione integri vel sub ratione præcipuarum partium, dominium ejus quem sibi asserere posse nego. Vid. Grot. de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 2. n. 3. & c. 3. n. 8. & seqq. & in tract. de mari liber. cap. 5. & c. Dissentit Felden in annot. ad eundem modò dict. c. 2. n. 3.

## EX JURE CIVILI

## Controv. I.

An Tutoris datio sit Jurisdictionis vel Imperii, vel an ex speciali legis concessione competat?

Dissentiunt hic DD. variè. Plerique teste Treurl. vol. 2. disp. 8. th. 1. lit. E. eam mixto imperio tribuunt. Accurs. in l. 6. §. 2. ff. de tutel. eam neque jurisdictionis neque imperii tantum, sed utriusque esse contendit. Bocer. d. jurid. cap. 1. & 3. n. 12. eam vult esse jurisdictionis respectu cognitionis, sed imperii mixti ratione decreti. Cyn. in l. 1. de jurid. n. 7. jurisdictionis esse ait, si facultates pupilli non excedant 500. solidos, cæteroquin esse

B 3

68  
imperii; cum quo consentit in effectu Muscorn. *de jurisd. n. 160.* dum putat eam vel jurisdictionis vel imperii esse, prout vel minoribus vel majoribus Magistratibus competit. Vid. de his opinionibus Bachov. ad Tr. *supra cit. loc.* Sed enim verior est sententia illorum, qui tutoris dationem non nisi ex speciali concessionem legis competere arbitrantur, & hæc est opinio Cujac. 15. *Obs. 19. lit. E. Obrecht. disp. de patroc. pupill. th. 50. & seqq. Fachin. 12. Controv. 100. Pac. cent. 5. quest. 69. Bronchorst. cent. 1. assert. 13. Treutl. d. l. ibiq;* Bach. *Wes. ad tit. ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisd. n. 4. ibidemq;* Hahn. v. *tamen legatus. Zœl. ff. de jurisd. n. 20. & seqq. & Georg. Frantz. exerc. 3. quest. 1.*

## II.

Si unius debiti plura sint apud creditorem chirographa, num ipse uno illorum reddito, velut ex tacita quadam pactione, censeatur debitum remisisse?

Affirmat Bartol. Bald. Castr. Alex. Jas. in l. *Labco 2. §. 1. ff. de pact. Salicet. in l. si de possessione. 20. C. de probat. Menoch. lib. 3. præsumpt. 140. n. 8. & 9. & Canonistæ in c. Ecclesia 4. X. ut lite pend. quorum opinionem ex professo tuetur Bachov. ad Tr. vol. 1. disp. 6. th. 3. lit. B. verb. *sin autem plura.* Verum rectius eam impugnant Duaren. & Paul. Buf. in d. l. 2. §. 1. quos sequitur Treutl. *cit. loc.* & Vinn. *sel. quest. lib. 1. q. 7. & tract. de pact. c. 12. n. 15. & 16.**

## III.

An de crimine læsæ Majestatis, ut & de crimine Falsi, pacisci vel transigere liceat?

Prius inter alios negat Zœl. *ad tit. ff. de transact. num. 41.* Posterius affirmant Veteres communiter, quos sequuntur Cuj. 6. *Obs. 11. Borcholt. de transact. disp. 2. th. 5. & 6. Fachin. 1. contr. 9. Bronchorst. cent. 1. assert. 33. Perez. C. de transact. n. 12. Pac. n. 47. & Ant. Matth. tr. de crimin. c. 7. n. 18.* Verum de utroque rectius contrarium statuit Vinn. *tract. de transact. illud affirmans c. 7. n. 14. & 15. hoc verò negans eod. cap. n. 31. ubi & pro negante hac sententia allegat Donell. in d. l. 18. n. 14. & seqq. Klock. ad eand. l. p. 4. per tot. ibiq;* Alciat. *sub fin. & Ant. Faber. 2. conject. 20. cum iisdem facit Fran. Hotomann. quest. illustr. c. 23. Treutler. vol. 1. disp. 7. th. 5. lit. F. ibiq;* Bach. *Zœl. de transact. n. 44. & Hahn. in obs. ad*



*obs. ad Wes. d. n. 5.* Hæc tamen sententia limitatur, quando commissum delictum falsi est circumstantiis forte ita aggravatum, ut pœnam ejus ordinariam, deportationis scil. & confiscationis bonorum, ad mortem usque extensum iri probabiliter metui possit. Eo enim casu transactionem de hoc crimine non minus ac de cæteris capitalibus licitam rectius quis arbitretur.

#### IV.

An is, qui non possidet, actionem aliquam habeat, quâ consequi possit impensas in rem alienam factas?

Negativa sententia placet Cyno, Salycet. & Castrens. *in l. 5. C. de R. V. Donell. 20. comm. 7. Ant. Fab. dec. 26. error. 9. & seq. Vinn. ad §. 30. Inst. de R. D. n. 4. & sel. quest. lib. 1. c. 24.* Affirmativa arridet Cujacio *10. obs. 4.* ubi ait, incerti conditione non possidentem, saltem illum, qui rem per errorem restituit, possessionem ejus repetere atque ita contra agentem oppositâ doli mali exceptione sumptus adhuc servare posse. Idem sentit Hotom. *ad l. 1. C. de condict. indeb. Gilken. de impens. p. 2. c. 4. & Frantzk. exerc. jur. 4. quest. 5.* Martinus autem Glossator, eumq; secutus Joh. Goëdd. *in l. impensa. 79. de V. S.* utilem actionem negotiorum gestorum hîc competere existimant; quæ etiam est opinio Schotani *in exam. jurid. ad tit. de R. V.* ubi & conditionem sine causa hîc locum habere putat. Alii volunt dandam esse conditionem ex lege *32. ff. de reb. cred.* Cæterum ego priorem negantium sententiam juri nostro magis consentaneam arbitror; quamvis æquitatis commendatione opinionem Martini in foro hodie prævalere testis sit *Groenevveg. de legib. abreg. ad §. 30. Inst. de R. D.*

#### V.

An servitutes prædiales solis pactionibus aut stipulationibus citra ullam traditionem aut cessionem constituentur & acquirantur, ita ut simul atque in conventionem deductæ sunt, earum nomine actio in rem confessoria vel negatoria competat?

Affirmativam hîc maximè propugnat Bach. *ad §. ult. Inst. de servit. rust. & urb. præd. ut & Hahn. ad par. Wes. ff. de servitut. n. 5.* ab eoque citatus Hilliger. *in Donell. enucl. libr. 11. cap. 10.* Verùm rectius

68  
rectius negativam defendit ipse Donell. *d. l. Connan. 4. comm. 8. Vultej. ad Inst. d. 5. ult.* ibique ex professo Vinn. *n. 2. & 5.* ubi in hæresi ponit sententiam Bachovii, quâ nihil unquam auctentia ratione & auctoritate juris alienius. Vid. Vinn. & Hahn. *dd. ll.* ubi tamen hic nequicquam movetur isthac Vinnii censura, quo minus sententiam Bachovii defendat.

#### VI.

An Actor, qui nihil omnino probavit, nec ullam pro se habet juris præsumptionem, Reo possit deferre juramentum judiciale, eo effectu, ut si reus illud præstare aut referre nolit, in litem actori sit condemnandus?

Affirmo cum Paul. Castrenf. *in l. jusjurandum. 34. §. ait Prætor. 6. ff. de jurejur.* Alexand. & Jaf. *in l. manifeste. 38. ff. eod.* Duaren. *in comm. prior. ad tit. de jurejur. cap. 6. & in poster. cap. 3.* Fachin. *1. controv. 19.* Bronchorst. *centur. 1. assert. 70.* Cujacius *22. Obs. 28.* Donell. *ad tit. de jurejur. c. 12. num. pen. & ult.* Christin. *vol. 3. decis. 1. num. 2.* Schneidevvin. *in §. item si. 11. Inst. de act. num. 21.* Treutl. *vol. 1. disp. 21. th. 9. lit. C.* Wes. *in π. ff. de jurejur. n. 9. ibiq.* Hahn. & Vinn. *sel. quest. 42. lib. 1.* Dissentiunt cum gl. *in l. 3. C. de reb. cred.* Bartol. Bald. Salicet. Abb. Specul. & alii, quos memorat Mascard. *de probat. vol. 2. conclus. 957. n. 7.* Ant. Fab. *Cod. suo for. tit. de reb. cred. defn. 23.* Caroc. *de juram. lit. decis. quest. 1. principali. ubi num. 4.* ait ex Menoch. *de præsumpt. lib. 1. quest. 81.* hanc opinionem esse magis communem. Pro qua etiam vid. Bachov. *ad Tr. d. disp. 21. th. 9. lit. C.*

#### VII.

An indebitum errore juris solutum repeti possit?

Affirmant & rectè Zaf. *ad rubr. ff. de condict. indeb. n. 5.* Sichard. *ad rubr. C. eod.* Wes. *ff. ad eund. tit. n. 9.* Christin. *vol. 3. decis. 8.* Grot. *libr. 3. introduct. ad jurispr. Bat. c. 30.* Vinn. *sel. quest. lib. 1. c. 47.* Negant Cujac. *5. Obs. 39.* Donell. *1. comm. 21.* Duar. *de condict. indeb. c. 7.* Bronchorst. *cent. 1. assert. 77.* Treutl. *vol. 1. disp. 22. th. 6. lit. a.* Perez. *in Cod. de cond. indeb. n. 12.* Zœf. *ad ff. eod. tit. n. 14.* quibus adde Frantzk. *exerc. jurid. 11. quest. 8.* qui tamen ab hac sententia recedit *in Comm. ad Pand. tit. de condict. indeb. num. 28. & seqq.*

VIII. An

VIII.

An ob necessarias impensas in rem depositam factas illam retinere liceat, donec impensæ fuerint exsolutæ?

Negat Donell. in l. si quis 11. n. 9. C. depos. Treutl. vol. 1. disp. 26. th. 5. lit. C. Zœl. ad tit. ff. depos. n. 29. & imprimis Hahn. ad Wes. ff. eod. n. 5. v. sine ulla mora, ubi ad Bachovii dissentientis argumenta respondet. Verum responsionibus istis & argumentis Hahnii nequicquam obstantibus veriore adhuc iudico sententiam Bachovii ad Tr. alleg. loc. & ad Wes. in not. d. n. 5. quam etiam tuentur Accurs. Cyn. Bald. Salycet. Castrens. in d. l. 11. C. depos. & Vinn. sel. jur. quest. lib. 1. q. 51.

IX.

An jus accrescendi transeat in emptorem hæreditatis? puta, Titus & Mævius sunt instituti heredes à Sejo ex æqualibus partibus, Titius autem partem suam vendidit Sempronio; utrùm deficiente Mævio portio illius pertineat jure accrescendi ad Titium, an verò ad emptorem Sempronium?

Emptori portionem illam accrescere statuunt Alciat. ad l. re conjuncti. 89. de leg. 3. Mant. de tac. & ambig. convent. lib. 4. tit. 11. num. 1. Perez. ad tit. C. de hered. vend. num. 15. Venditori verò illam assignant Jas. & Ripa in d. l. 89. Salycet. in l. un. C. quando non petent. part. Vasq. de tacit. substitut. seu jure accrescend. lib. 3. §. 21. n. 65. vers. illud autem dubium est. Ant. Gomez. 1. var. resol. c. 10. num. 44. Cujac. 12. Obs. 13. Fachin. 10. contr. 3. & 69. Treutl. vol. 1. disp. 28. th. 12. lit. A. ibiq. Bach. & Vinn. sel. quest. lib. 1. q. 55. Alii portionem quidem illam tribuunt venditori, sed ipsum obligatum opinantur ad eam restituendam emptori: quæ est sententia Decii in d. l. un. in not. ult. & Alciati lib. 4. paradox. cap. 9. Ego illorum sententiæ subscribo, qui jus accrescendi simpliciter ad venditorem pertinere docent, quibus etiam ad stipulatur Hahn. ad Wes. ff. de act. hered. & act. vend. n. 4.

X.

An si canonem intra triennium ab emphyteuta non

C

63  
solutum, postea verò oblatum aut exactum dominus  
sine protestatione acceperit, hoc ipso caducitati videatur  
renuntiassè?

*injuriam diffamationis ableg.  
Obst. §. fin. l. d. injuria  
una via elata ad alio  
vā d. patet regressus  
l. 10. §. 1. ff. d. part. l. apud  
Cass. q. §. labeo tit. 7. ff.  
d. dol. mal. except. et passim*

Negandum censeo cum Sichard. & Coras. ad l. 2. C. de jur.  
emphyt. Mantie. lib. 22. de tac. & ambig. convent. tit. 33. num. 1.  
& seqq. Bronch. cent. 1. assert. 54. Tulden. ad C. de jur. emphyt.  
num. 15. Christin. vol. 1. decis. 157. num. 8. & seq. Treutl. vol. 1.  
disp. 29. th. 12. lit. E. Contrarium docent Bart. in d. l. 2. n. 8. & la-  
tè ibidem Jas. Jul. Clar. §. emphyteusis quest. 10. Guid. Pap. quest.  
171. Fach. 1. contr. 99. Perez. in Cod. de jur. emphyt. in fin. ibiq. Ant.  
Fab. defin. 16. Bachov. ad Tr. cit. loc. Zœf. ad tit. D. locat. n. 82. & d.  
Dd. communiter.

XI.

An Testamentum, in quo filius. à patre præteritus  
est, ex justis nimirum & ad exheredandum sufficienti-  
bus causis, quas heres probare possit, sit ipso jure nul-  
lum, ita ut nec hodie legata neque fideicommissa exin-  
de debeantur?

Negant Accurs. Bartol. Castrenf. in l. filio. 17. de injust. rupt. ir-  
rit. testam. Jas. in Auth. ex causa. C. de liber. præter. & communis  
DD. Schola, teste Cagnolo in modò d. Auth. & Jul. Claro libr. 3.  
sententiar. §. testamentum. quest. 52. n. 1. quos sequuntur Gail. 2.  
Obs. 113. inf. Donell. in d. Auth. ex causa. n. 7. & 8. Duar. ad tit. de in-  
just. rupt. & irr. test. c. 2. Fach. 4. contr. 10. & 10. contr. 70. Ritterf.  
ad Novell. p. 6. c. 3. num. 27. Matth. Steph. in Nov. 115. num. 22.  
Paul. Christin. vol. 4. decis. Belg. 18. & vol. 5. decis. 28. Bronch.  
cent. 2. assert. 35. Wef. & Hahn. ad ff. de liber. & posth. her. instit. n. 5.  
Sed veriùs hoc affirmant Cujac. ad d. l. filio. 17. de injust. rupt. test.  
Govean. in l. 1. ff. de vulg. & pup. substit. Ant. Fab. lib. 9. conject. 14.  
& dec. 20. error. 4. Bachov. ad Tr. part. 1. disp. 13. th. 1. lit. B. Vinn.  
lib. 2. select. quest. c. 20. Frantzck. exerc. 6. quest. 3. & Zœf. ad ff. de  
liber. & posth. her. instit. n. 25.

XII.

An liberi ob non confectum inventarium perdant  
legitimam?

Certi

Certi & indubitati juris est heredem, qui inventarium facere  
 neglexit, privari beneficio legis Falcidie, eumque ob eandem cau-  
 sam amittere etiam jus detrahendi Trebellianicam, itidem ex-  
 ploratum mihi videtur; quamvis major pars DD. existimet,  
 non cessare propterea hoc S<sup>C</sup>ti beneficium, juxtaque horum  
 sententiam sæpissime judicatum fuerit. Gail. 2. Obs. 138. Myn-  
 sing. 3. Obs. 60. Christin. vol. 1. decis. 317. & vol. 4. decis. 51. Perez.  
 in Cod. de jur. deliber. n. 14. Fach. 4. contr. 38. & 13. contr. 54. ubi  
 hanc suam sententiam vocat ipsissimam veritatem, Grænev. v.  
 de legib. abrog. ad Auth. Sed cum testator C. ad L. Falcid. Vid. Vinn. sel.  
 quest. 28. lib. 2. & Fach. d. contr. 38. Verum enim verò præcipuum  
 dubium in eo vertitur, an etiam liberi propter hanc inventarii  
 omissionem legitimam suam fraudari debeant? Certè multi eorum,  
 qui concedunt, ex ea causa extraneos amittere Trebellianicam,  
 negant tamen ob eandem liberos perdere legitimam: & ita sen-  
 tit longè pars maxima Interpretum, teste Vinn. d. loc. quos inter  
 Accurs. & Alex. in l. ult. S. pen. C. de jur. deliber. ibiq. Jas. n. 2. & seqq.  
 Cagnol. in l. Papinianus. 8. S. meminisse 14. n. 15. ff. de inoff. testam.  
 Gail. lib. 2. Observ. 138. n. 14. Ant. Fab. Cod. suo for. de jur. delib. de-  
 fin. 23. & ad S<sup>C</sup>. Trebell. defin. 5. Fachin. 4. contr. 34. & Christin.  
 vol. 1. decis. 317. n. 6. & seqq. Sed non obstante tantorum virorum  
 autoritate probabiliorem adhuc reor esse sententiam affirma-  
 tivam, quam tenet Salicet. in alleg. Auth. sed cum testator. & in l. ult.  
 S. pen. n. 35. d. tit. C. de jur. delib. aliique citati Fachin. d. contr. 34.  
 in pr. quibus adstipulantur Vinn. cit. quest. 28. & Zæf. ff. de jur.  
 deliber. n. 16. quamvis heredem extraneum ob inventarium non  
 confectum Trebellianicam perdere neget num. seq. 17. Et hæc af-  
 firmans sententia procedit etiam in casu, quo liberi quidem fe-  
 cerunt inventarium, minus tamen solenne & imperfectum, ut  
 in quod res omnes hereditarias haud retulerunt, sed quasdam  
 illarum scienter omiserunt, occularuntque. De quo plura Fach.  
 4. contr. 37. ubi quamplurimos in contrarium allegat, sed quo-  
 rum argumentis ibidem satisfacit.

XIII.

An sub legato omnium bonorum mobilium veniat  
 pecunia numerata? & an etiam nomina & actiones,  
 præsertim illæ, quæ ad rem mobilem competunt?

*Scheidt. W. ad §. extraneos  
 ir. in 19. J. d. her. qualif.  
 Casp. de decif. 3. tit. ha-  
 restam. n. 8. in fin.  
 Plurimos tñt de s. ant. h. for.  
 in nulla l. fundat.*

*Hinc fit injuria; utriusq.  
 enim negat.  
 Obst. qd nulla l. cavet.  
 Nec irritato tolli potest  
 l. quonia. 32. C. d. inoffic.  
 testam. vel 36. §. cum  
 autem. C. de.*

*Mala hoc exemplum affert  
 H. T. o. e. g. r. a. formam.  
 2. tñt p. a. m. d. u. d. i. s. i. t.  
 l. fin. C. de jur. delib.*

68  
Hoc simpliciter nego cum Hahnio ad *Wes. ff. ad SC. Trebell. n. 12.* in annexo ibidem eleganti quodam *Juris Responso*, ibi: quæ veniant nomine mobilium pag. m. 500 ubi citat Tyraquell. *de retract. lignagier. §. 1. gloss. 7. n. 6. 7. & 8.* qui multos refert Authores, quorum nonnulli actiones bonis mobilibus, nonnulli immobilibus attribuant; quidam verò distinguunt, ut si actio competat ad rem mobilem, ea quoque rebus mobilibus, sin ad immobilem, ea immobilibus annumerari debeat. Sed rectius Hahn. *d. pag. 500.* cum eod. Tiraquell. Berlich. Coler. Geil. Carpzov. aliisq; ibidem relatis DD. censet, eas per se constituere tertiam & separatam speciem, proindeque legatis bonis mobilibus, eorum nomine comprehendi non posse. *Illud* itidem negandum arbitrator, sub hac tamen limitatione, ut excipiam pecuniam, quæ præsidii seu auxilii causâ reposita reperitur & quæ est loco peculii, ein Sparpfenning, quæve quotidianis usibus destinata est, so zur täglichen Hausnothurfft verordnet. Secus obtinet, si pecunia fortè sit destinata emptioni rerum immobilium, vel in hunc finem reposita, ut occasione oblatâ mutuo detur, quod ipsum in dubio, quando nimirum de mente reponentis aliter non constat, de jure præsumitur; vel etiam, si cambii aut alterius negotii usibus inserviat. Vid. omnino Hahn. *d. loc.* ubi hæc atque alia, allatis variis rationibus dubitandi & decidendi, egregiè persequitur.

#### XIV.

An *l. Si unquam. 8. Cod. de revocand. donat.* etiam pertineat ad quemvis extraneum?

Negat hoc Gloss. *in modo d. l.* Azo *in Summa. C. de revoc. donat. Cyn. & Salicet. in l. 1. C. eod.* Connan. *lib. 5. comm. c. 10. n. 3.* Ant. Fab. *lib. 7. conject. c. 14. & 15.* Rittershus. *in differ. jur. civ. & can. lib. 3. c. 21.* Wissenbach. *ff. d. donat. th. 14. & differ. jur. civ. & can. th. 9.* & præsertim Bachov. *ad Tr. vol. 2. disp. 19. th. 7. lit. E.* nec non Arnold. Vinn. *sel. quest. lib. 2. q. 32. & ad Inst. de donat. §. 2. n. 7.* Verùm communior & probabilior est sententia affirmans, pro qua videatur Gomez. *lib. 2. var. resol. c. 4. n. 11.* Clar. *§. donatio. quest. 22.* Mozz. *de donat. art. quomodo annull. & revoc. don. n. 71.* & prolixè Bocer. *tr. de donat. c. 3.* nec non Tiraquell. *ad d. l. si unquam.*

quam. 8. Fachin. 3. contr. 85. Mynsing. 5. Obs. 63. & 64. Treutl. d. disp. 19. th. 7. lit. e. Zœs. ad tit. ff. eod. n. 127. Frantzk. exerc. 5. quest. fin. 10. Hahn. ad par. Wes. d. tit. ff. de donat. n. 7. v. praterea si quis liberos.

### XV.

Ad quem ex sponsis xenia sive munera illa pertineant, quæ à consanguineis & amicis in festivitate nuptiarum ipsis offerri solent?

Bald. in l. cum responsa. 9. C. de donat. ante nupt. ibiq; Sichard. Salycet. in l. nec inter. 4. C. de donat. inter vir. & ux. & Jas. in l. sed si plures. 10. §. 5. ff. de vulg. & pupill. substit. omnia sponsæ acquiri volunt. Bartol. in d. l. 10. §. in adrogato. 6. in fin. ibidemq; Zas. & Roland. à Valle 1. consil. 10. donata ad illum pertinere ajunt, à cujus consanguineis ea profecta sunt. Panormit. autem in c. 2. X. de don. inter vir. & ux. Besold. in thesaur. pract. v. Hochzeitschenckungen. Berlich. conclus. pract. part. 3. concl. 32. Treutl. vol. 2. disp. 7. th. 10. lit. E. & Hahn. in Obs. ad Wes. ff. de jur. dot. n. 11. v. Morgengabe. utrisque conjugum ea acquiri statuunt, à quocunque tandem donata sint; & hæc sententia veritati magis est consentanea.

### XVI.

An interdictum seu judicium possessorium cumulari possit cum petitorio?

Tres super hac quæstione reperiuntur Veterum sententiæ, teste Bartol. in l. 12. §. 1. D. de acquir. vel am. poss. & Fach. 8. contr. 6. Prima negat absolute ullum possessorium cum petitorio unquam intentari posse. Secunda distinguit inter interdicta possessionis retinendæ, adipiscendæ ac recuperandæ; & illud cum petitorio concurrere posse negat, de his autem id affirmat. Tertia opinio simpliciter asserit, quod omne interdictum possessorium cum petitorio rectè cumuletur; quam Cyn. in l. ordinarii. 13. C. d. R. V. veram esse dicit sicut Evangelium, sed Bartol. cit. loc. falsam appellat sicut Judam Ischariote: & hujus sententiæ patrocinium cum Cyno suscipit etiam Cujac. 25. Obs. 34. Fach. d. contr. 6. Rittershus. in differ. jur. civ. & can. lib. 5. c. 2. Perez. ad. C. de interdict. n. 24. & seq. Zœs. ad tit. ff. eod. n. 8. & 10. &

68  
X. de caus. possess. & propriet. n. 6. Cæterum communior est sententia illorum, qui docent, adipiscendæ duntaxat & recuperandæ, non etiam retinendæ possessionis iudicium cum petitorio rectè conjungi: quæ opinio Jure Canon. approbata est & in praxi ubique recepta. Hahn. ad Wes. ff. de interdict. n. 12. Attamen in puncto juris verior est sententia prior, scil. nullum interdictum possessorium in eodem iudicio cum rei vindicatione cumulari posse; & hanc præter alios tuentur Donell & Giph. ad l. 3. C. d. tit. de interd. Frantzk. exerc. jur. 14. quest. 1. & 2. Vinn. fel. quest. lib. 2. c. 39. & Hahn ad Wes. de interd. alleg. n. 12. ubi & hanc questionem annectit, an relicto petitorio quis possit confugere ad possessorium adipiscendæ vel recuperandæ, ut, si videat actor, se deficere in domini probatione? & rectè ait, hoc licitum esse quocumque etiam tempore litis, scil. ante conclusionem in causa; quamvis è contrario, si institutum prius sit iudicium possessorium, hoc omittit & ad petitorium transire nequeat: nisi tamen possessorio planè renuntiare malit. Vinn. in d. c. 39. circa fin.

#### XVII

An fidejussor, qui se obligavit ut principalem, **der sich zum selbst schuldigen verschrieben** / habeat beneficium ordinis seu excussionis?

11  
Negant Gail. 2. Obs. 28. Hippol. de Marsil. ad rubr. ff. de fidejuss. Fachin. 8. contr. 54. Treuti. vol. 2. disp. 28. lit. d. Berlich. part. 2. conclus. pract. cap. 23. n. 4. Hahn. ad par. Wes. ff. de fidejuss. n. 6. v. aut excussus. & imprimis Joh. Hering. tract. de fidejuss. c. 27. n. 85. & seqq. & plures ab eodem citati n. 118. 119. & 120. Affirmant Accurs. in Nov. 4. §. 1. v. fidejussorem. Specul. tit. de renuntiat. n. 18. Gomez. 2. var. resol. 13. n. 4. Vasq. illustr. contr. 33. n. 8. Tessaur. deus. 166. n. 2. Cothman. vol. 1. resp. 22. Schneid. ad §. si plures. 4. Inst. de fidejuss. n. 11. 12. & 13. Zœl. ad tit. ff. eod. n. 22. & Frantzk. exerc. jur. 10. quest. 8. Distingunt Cyn. Alexand. & alii, quos refert Fach. d. contr. 54. inter fidejussorem, qui se obligavit eo tempore, quo debitor principalis, & inter illum, qui se obligavit tempore diverso: huic beneficium ordinis concedunt, illi denegant. Sed verior est sententia simpliciter affirmantium, quam  
etiam



etiam propugnat & defendit Bachov. *ad Tr. cit. loc.* ubi quæ prolixè in contrarium movet Hering. sufficienter refutat.

### XVIII.

An beneficium excussionis competat illi, qui rem pignori specialiter obligatam possidet?

Nego simpliciter cum Accurs. *in Nov. 4. c. 2.* Tellaur. *decis. 57.* Berlich. *2. conclus. 21. n. 71.* Carpzov. *jurispr. for. p. 2. c. 18. d. 18. & 2. resp. 72.* Hahn. *ad Wes. ff. de distract. pign. num. 1.* ubi hanc sententiam diversis responsis à Facultate Juridica in Academia Julia confirmatam fuisse refert. Dissentit Fach. *10. contr. 10.* & alii complures, quos citat Hahn. *d. n. 1.* ut Neguzant. *de pignor. p. 8. membr. 1. num. 17. v. tertio.* Sichard. *in l. distractis. 14. & Arch. Hoc ita. C. de pignor. n. fin.* Bachov. *de pignor. lib. 3. c. 17. num. 2.* Rittershuf. *ad Nov. part. 3. c. 2. num. 34.* Gudelin. *de jur. noviss. lib. 4. cap. 7. v. similiter.* Perez. *in Cod. de pign. num. 15.* & prolixè Frantzk. *var. resol. lib. 1. resol. 12.* qui beneficium excussionis eodem casu possessori specialis pignoris competere negant, quo illud à debitore, lite jam desuper inter ipsum & creditorem contestatâ, fuerit alienatum. Vid. Hahn. *d. loc.*

### XIX.

An ob defensionem bonorum liceat in vasorem occidere?

Communitè ferè hoc negant DD. ita ut multi ne quidem in casu, quo vel omnia bona sunt amittenda, occisionem licitam putent, nisi simul etiam subsit personæ periculum. Vid. Covarruv. *ad Clem. Furiosus. 1. p. 3. S. unic.* Felin. *in cap. 2. x. de homicid.* Treutl. *vol. 2. disp. 32. th. 6. lit. H.* Zœf. *ff. ad l. Corn. de sicar. num. 49.* Bachov. *ad Treutl. loc.* Sed veriùs contrarium amplectitur Zœf. *loc. cit. num. 50. & 51.* ubi tamen non ob quamvis rem minimam, sed quæ magni alicujus sit momenti, defensionem hanc rationabilem ait. Confer Accurs. & Jas. *in l. 3. de just. & jur.* Covarruv. *ad d. Clem. Furiosus.* Damhoud *prax. crim. c. 78.* aliosque, quos allegat Treutl. *idem statuens d. disp. 32. th. 6. lit. H. sibi tamen contrarius vol. 1. disp. 1. th. 4. lit. C.* Et hanc opinionem non tantùm de jure civili, sed etiam Canonico veram existimo,

68  
existimo, per tradita à Zœs. d. n. 50. & 51. nec non de jure naturali, de quo Grot. de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 1. num. 11.

XX.

An pœna Stupri à Jure Civili constituta in conjugatum rem habentem cum soluta, nec non pœna fultigationis ac detrusionis in monasterium, constituta in mulierem adulteram, mutatae sint Jure Carolino?

Prius affirmant Vigel. ad Constit. Carol. art. 120. & Bocer. tract. de adulter. cap. 1. num. 3. posterius autem Zieritz. in d. art. 120. ita ut utramque pœnam non capitalem de jure civili, capitalem factam esse censeant in bis alleg. isto art. 120. Sed utrumque ego negare non dubito cum Hahn. ad Wes. ff. ad L. Jul. de adult. n. 19. verb. Ordinat. Imper. quem ibidem vide.

## EX JURE CANONICO.

Controv. I.

An Pacta producant actionem?

*id est rectè.*  
11  
Affirmant DD. communiter per cap. 1. & 3. X. de pact. teste Vivio lib. 1. comm. opin. num. 234. Soarez. in th. recept. sent. lit. P. n. 1. & cum primis Covarruvias ad c. quamvis. 2. de pact. in 6. p. 2. §. 4. num. 24. Jas. in l. juris gentium. 7. §. 4. vers. Igitur nuda. num. 4. ff. & Sichard. ad rubr. C. eod. Mynsing. ad §. si scriptum. 17. Inst. de inutil. stipul. num. 3. Borcholt. tr. de pact. c. fin. num. 63. Bachov. ad Tr. vol. 1. disp. 6. th. 9. lit. B. Wesenb. ad tit. ff. de pact. num. 9. ibique Hahn. v. jure Pontificio. Videatur etiam Excellentiss. Dn. Jacob. Brandmyllerus in Manud. ad Jus Can. & Civ. in differentia. Pactum ita se habeat. Verùm enim verò, cum pace tantorum Virorum, contrarium mihi rectius videtur defendi posse, per ea, quæ tradunt Alciat. lib. 5. paradox. c. 3. Cujac. ad c. 2. x. de sponsal. Fach. 2. contr. 101. Ant. Fab. in d. l. 7. §. 7. ff. de pact. Schneid. tr. d. pact. ad tit. Inst. de obligat. num. 9. & 10. & Zœs. ad d. tit. ff. de pact. n. 60. & X. eod. num. 6. ita ut licet vel pacto juramentum accesserit, obligationem tamen exinde nullam ad agendum oriri credam cum Fach. Ant. Fab. & Zœs. s. dd. ll.

XII. An

II.  
An Matrimonium sit validum contractum cum Infidelibus?

Negant Alber. Gentil. 2. de nupt. 19. Treutl. vol. 2. disp. 6. th. 1. lit. e. Zæf. ad rit. de sponsal. x. num. 57. Sed veriùs hoc affirmandum censet Bachov. ad Tr. d. loc. cujus argumentis ego per-motus à priori sententia, cui antehac eram addictus, recessi, ita tamen ut cum ipso excipiam Judæos; qui Christianas mulie-res in conjugio habentes admonentur, ut si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur, juxta *can. judæi. 10. can. si quis. 17. caus. 28. q. 1.* Et hæc affirmans opinio magis convenit cum jure Divino & naturali, quæ tale matrimonium nequidem contra-hi vetant, tantum abest, ut contractum irritum pronuntient. Multò autem magis nuptiæ subsistunt cum hæreticis, quæ licet etiam prohibeantur jure Canon. contractæ tamen pro nullis non habentur.

III.

An sublata sit differentia inter contractus bonæ fi-dei & stricti juris?

Nego cum Treutl. vol. 1. disp. 19. th. 2. lit. C. ibiq<sup>3</sup>. Bachov. Rittershus. in differ. jur. civ. & can. lib. 3. cap. 9. & in primis Ant. Fab. decad. 9. de error. pragm. err. 1. Dissentit Jason ad S. actio-num. 28. Inst. de act. Bald. ad c. un. in fin. X. de plus petit. Cagnol. in l. 2. num. 62. C. de rescind. vendit.

IV.

An qui juravit se soluturum, possit compensare?

Communiter hoc negare solent Canonistæ ad c. ad nostram. 7. X. de jurejur. commemorati à Covarruv. de pact. p. 1. S. 4. num. 15. Fachin. 1. contr. 7. & Treutl. vol. 1. disp. 25. th. 11. lit. A. Affirmant autem Bald. in d. c. 7. Fachin. aliique ab eodem citati d. loc. quos sequitur Zæf. x. de jurejur. num. 72. Sed veriùs distinguere mihi videntur Panormit. in d. c. ad nostram. num. 3. Covarruv. in c. quamvis. de pact. in 6. p. 2. S. 4. Bachov. ad Tr. d. th. 11. & Hahn ad Wes. ff. de compensat. num. 10. ut nim. si tempore præstiti jura-

D

68  
menti adfuit mutuum debitum, jurans compensationem opponere nequeat, secus autem, si tale debitum non adfuit.

V.

An pactum seu lex commissoria in pignoribus, quæ jure non tantum Civili, sed etiam Canon. improbata est per c. pen. X. de pignor. juramento confirmari possit?

Affirmant gloss. & CC. communiter in c. cum contingat. 28. X. de jurejur. & in c. significante. pen. X. de pignor. Costal. in l. Titius. 34. ff. de pign. act. Fachin. 10. contr. 73. Gail. 2. Obs. 40. Rittersh. lib. 3. diff. jur. civ. & can. c. 4. & pluries laudatus Dn. Brandm. in manud. ad jus can. & civ. in diff. Juramentum omne est servandum. Negant Panorm. in d. c. significante X. de pignor. Cujac. ad c. ex rescripto. 9. & c. cum contingat. 28. d. tit. X. de jurejur. Treutl. ad eumque Bach. vol. 2. disp. 1. th. 6. lit. D. v. nec jurata quidem. Vide sis etiam Hahn. ad Wes. ff. de pignor num. 5. Cæterum ego priori sententiæ ad stipulandum crediderim cum Zœf. ad tit. X. de jurej. n. 5. 6. & ad ff. de pign. n. 17. & X. eod. n. 6. ubi tamen rectè censet tutum non esse creditori pignus ita commissum retinere propter labem usurariam, & integrum esse debitori rem illam postea repetere, petita scil. absolutione à juramento. Vid. Zœf. d. loc.

VI.

An mulieres possint esse testes in testamento?

Negat hoc Covarruv. in c. cum esses. 10. X. de testam. & DD. communiter. vid. Decium ad c. 3. X. de testib. Clar. S. testamentum. quest. 55. & Viv. comm. opin. lib. 1. v. testis. num. 2. quos sequitur Treutl. vol. 2. disp. 10. th. 4. lit. F. ibique Bachov. & Zœf. num. 47. ff. qui testam. fac. poss. & X. de testam. num. 21. Contrarium tenet Jaf. in l. hac consultissima. 21. C. de testam. in f. princ. Abb. in d. c. 10. X. de testam. lect. 1. Vigil. ad S. 6. Inst. eod. num. 3. aliique multi, teste Bachov. d. l. Ego priori opinioni prorsus assentior, adeo ut putem mulierem nec in testamento ad pias causas testem adhiberi posse, quamvis communiùs receptum dicat Tirraq. de privileg. pia cause. Pr. 4. & seqq. testamentum tale ne quidem ullum testem requirere, non magis ac testamenta paren-

VII. An

rum inter liberos, proindeque mulierem in illo testari posse  
contendat *cit. loc. num. 8.*

VII.

An spoliatum notorium prædonem, agentem ad  
recuperandam possessionem, removeat exceptio do-  
minii?

Negat Panormit. & alii in *c. in literis. 5. X. d. restit. spoliat.* quos  
sequitur Fachin. 8. *contr. 10.* Affirmat Anton. Butr. in *c. cum Ec-  
clesia. 3. X. de caus. poss. & propriet.* Covarruv. *ad rubr. de sponsal. p. 2.*  
*c. 7. §. 5. num. 10.* Menoch. *de recuper. poss. rem. 1. num. III.* Distin-  
guit Imol. in *d. c. in literis.* Oldrad. in *consil. 1.* multiq; alii, quos  
refert Menoch. *d. rem. num. 131.* ut si agatur de causa beneficia-  
li Ecclesiastica, prædo spoliatus restitui non debeat, secus au-  
tem si agatur de re prophana. Mihi affirmantium sententia  
verior videtur, quam etiam probat Zoef. *X. de restit. spoliat. n. fin.*

VIII.

An ad præscriptionem rerum mobilium Ecclesiæ,  
triennale tempus sufficiat, vel an 40. annorum decur-  
su opus sit?

Communis equidem & recepta sententia est, triennale tem-  
pus sufficere: & ita præ cæteris statuunt Felin. in *c. de quarta. 4.*  
*X. de præscript.* Covarruv. in *c. possessor. 2. de R. I. in 6. part. 2. §. 2.*  
*num. 5.* Abb. in *c. 1. X. de restit. in integr. & Balb. de præscript. 1. part. 5.*  
*princ. quest. 1. num. 10.* Æquior tamen & probabilior est opi-  
nio negans, quam defensam vid. ab Hostiens. in *d. c. 1. X. de in-  
integ. restit. ibiq; Panormit. num. 13.*

IX.

An Ecclesia gaudeat beneficio restitutionis in inte-  
grum adversus præscriptionem 40. annorum?

Negant hoc multi, quos refert & sequitur Socin. Senior in  
*consil. 266. num. 23. lib. 2.* Sed communior & verior est senten-  
tentia affirmans. Vid. Odd. *de restit. in integr. part. 2. quest. 89.*  
*art. 3. & Fachin. 8. contr. 103.*

X.

An exceptio non numeratæ pecuniæ post bien-  
nium opponi possit, si debitor onus probandi in se su-  
scipiat.

Controversa est hæc quæstio etiam de Jure Civili, multis  
eam negantibus, plerisque affirmantibus, ut videre est ex Fach.  
2. contr. 82. & Vinn. *select. quæst. lib. 1. c. 41.* Ego negantium opi-  
nionem non tantum de jure Civ. sed etiam de jure Canonico  
veriolem censeo cum Bald. *ad l. cum quis. 10. C. de jur. & fact.  
ignor. ibiq;* Jas. *Specul. de restit. in integr. §. 1.* aliisque pluribus,  
citatis Fach. 2. contr. 83. Dissentiunt Dyn. *in c. locupletari 48. de  
R. 1. in 6.* Angel. *in consil. 156.* Imol. *in c. fin. x. de solut.* Felin. *in c.  
si cautio. 14. X. de fid. instrum.* Dec. *in l. jure natura. 206. ff. de R. 1.*

## EX JURE PUBLICO.

*Controv. I.*

An Imperium Romano-Germanicum rectè dicatur  
esse Monarchicum?

Negat hoc simpliciter Bodinus *lib. 2. de Rep. c. 6.* negat item  
Limnæ. *de jure public. lib. 1. c. 10. num. 12. & in addit. ad idem  
cap. tom. 5. pag. 154. & ad cap. 12. num. 19. & c. p. 173. & multis seqq.  
ac porro in appendic. ad d. c. 10. p. 267. eod. tom. 5.* Paurmeister *de ju-  
risd. lib. 2. c. 2. n. 20.* & DD. alii, sed ita tamen, ut Statum Im-  
perii nostri mixtum ex Monarchia & Aristocrazia esse contem-  
dant. Affirmat autem simpliciter cum aliis quamplurimis  
Theodor. Reinking. *tr. de regim. secul. & eccles. lib. 1. class. 2. cap. 2.*  
ubi ad contraria prolixè respondet, suamque opinionem verio-  
rem, sanctiorem & humaniorem appellat, vid. *d. c. 2. n. 51.* &  
quam postea variis undique adductis argumentis evidentissi-  
mè se probatam dedisse memorat *d. loc. n. 91.* Sed tamen ista  
Reinkingii argumenta nequicquam me movent, quò minùs in  
illorum sententiam descendam, qui Statum Imperii nostri non  
Monarchicum, sed mixtum esse docent, in quo tamen Aristo-  
cratiæ lumen clariùs appareat, uti ait Limnæ. *d. cap. 1. n. 12.*

II. An

II.

An Vicariatus Imperii, sc. in partibus Rheni, Sueviæ & in Jure Franconico, sicut olim spectavit, ita etiamnum pertineat ad Electorem Palatinum Rheni, an verò translatus sit ad Electorem Bavarum?

Acriter hæc inter utrumque Electorem hæc controversia disputata fuit: cujus cardo in eo vertitur, an Vicariatus ille sit annexum Electoratus vel an Comitatus Palatini: illud enim si probatum fuerit, adscribendus erit Electori Bava- ro, sin hoc, Electori Palatino; juxta *Instrum. Pac. Osnabrug. art. 4. S. & primò, junct. S. deinde ut inferior.* Arbitror autem ex iis, quæ in *jurisprud. sua publ.* pro Utriusque jure adducit Sprenger. pag. 269. & seqq. & *Limnæ. in addit. secund. ad tr. d. jur. publ. lib. 3. c. 11. num. 7. & in Observat. in Aur. Bull. ad c. 5. S. 1. v. ratione Principatus. p. 265. & seqq.* haud difficulter posse concludi, Vicariatus istius dignitatem non Electoratus, sed Comitatus Palatino semper fuisse annexam, ut proinde facile in partes illorum descendam, qui Vicariatum hunc ad Comitem Palatinum etiamnum perti- nere credunt.

III.

An Princeps Elector filio suo impuberi Electoratus heredi, salvâ constitutione Aureæ Bullæ in cap. 7. S. 2. testamento possit dare tutorem?

Affirmativæ sententiæ subscribo cum Dionys. Gothofred. aliisque, olim propugnantibus dispositionem ultimæ volun- tatis Friderici Electoris Palatini, qui impuberi filio testamento tutorem constituerat Johannem Ducem Bipontinum, excluso proximior vel seniore agnato Philippo Ludovico Duce Neo- burgico. Atque hanc sententiam tuetur etiam Bachov. *ad Tr. vol. 2. disp. 8. th. 3. lit. A.* Dissentiunt DD. plerique. Vid. *Gædd. ad l. 120. in fin. ff. de V. S. Treutl. cit. 1. Quirin. Kubach. quest. illustr. cent. 2. decur. 8. q. 1. Arumæ. discurs. 4. ad A. B. th. 10. Dies- terich in Not. ad A. B. cap. 7. S. 2. ad verb. administrator existat. pag. 52. & seq. Rumelin. ad A. B. part. 1. dissert. 7. th. 3. quos sequitur Limnæ. in Observ. ad d. A. B. cap. 7. S. 2. obs. 21. p. 313. & de jur. publ. lib. 1. c. 11. num. 103. usq. ad 111.*

IV.

Si in Comitibus Status Imperii super aliquo negotio decidendo dissentiant, in unamque sententiam nullo modo convenire queant; an Imperator pro sua auctoritate rem determinare & hoc modo Statibus legem dicere possit?

In affirmativam inclinatur Author der nothwendigen Erinnerung / *contra Inform. Donavverd. p. 61.* daß nemlich / wann die Stände auff Reichstagen sich nicht vergleichen können / die Sachen darumb nicht ligen bleiben / sondern es gebe der Röm. Kaiser den Ausschlag. Vid. *Limnæ. de jur. publ. lib. 9. c. 1. n. 170.* Contrarium tenet Paurmeister. *de jurisdic. lib. 2. c. 6. n. 50. & 74.* Mihi videtur cum Limnæo causæ qualitatem hinc considerationem mereri, ne Imperator patiatur ad arma pervenire, quos auctoritate suâ ab iisdem revocare potest. Si tamen armorum periculum non subsit, veriore esse reor Paurmeisteri sententiam, non obstantibus iis, quæ in contrarium movet *Limnæ. prædict. loc. num. 171. 172. & 173.*

V.

An Imperator de Feudis Regalibus, vulgò *Sahnlehen* / solus cognoscat: an verò Proceres Imperii tanquam Pares Curia, in consilium adhibere debeat & sine his nequicquam statuere possit?

Illud negat: hoc affirmat Author des kurtzen und gegründeten Berichts über die Frage: Ob die Römischen Kayser in des H. Reichs Lehen sachen allein richten können &c. cum quo consentit Author der Sonawertischen *Information, part. 1. p. 139.* & die possidirenden Fürsten zu Göllich in ihrem ausschreiben *de Anno 1610. ibi: Es wird sich &c.* Vid. *Limnæum idem statuentem lib. 2. de jure publ. cap. 9. à num. 32. usq. ad 78.* Contrarium defendit Reinking. *deregim. secul. & eccles. lib. 1. class. 4. c. 19. n. 3. & multis seqq.* ubi suam opinionem tam de jure communi, quam de Aurea Bulla Caroli IV. ac novissimis Imperii constitutionibus fundatam & communi DD. calculo approbatam ait, quorum longam seriem ibidem adducit *n. 7.* Sed enim verior adhuc mi-



Huc mihi videtur sententia prior; quam etiam in decidenda  
quæstione illa, quæ hodie de Vicariatu Imperii vertitur inter  
Electorem Bavarum & Palatinum, obtinere persuasum habeo.

## VI.

An Imperator de Feudis Regalibus tam in posses-  
sorio quàm in petitorio possit cognoscere? an verò  
quoad illud Camera Spirensis concurrentem jurisdic-  
tionem habeat?

Camerae jurisdictionem hinc fundatam esse tradunt Thomas  
Michael. *tr. de jurid. conclus.* 28. Barth. *in compend. Ordinat. Ca-*  
*mer. part. 2. tit. 7.* Gothofr. Anton. *Disp. Anti-Vultejan. 2. in coroll.*  
*th. 17. ut & Reinking. de Regim. secul. lib. 1. class. 4. c. 19. n. 69. &*  
*seqq. citati Limnæo lib. 2. c. 9. n. 78. & 79.* Verum probabilius  
hoc negare videtur idem Limnæ. *d. loc. n. 81. cum Arumæo di-*  
*scurs. 3. ad A. B. th. 42.* quos latius ibidem vide.

## VII.

Quis sit Judex Principum & aliorum Immediato-  
rum Imperii, Reformatae Religioni addictorum, in  
causis matrimonialibus?

Controversiam hanc adeo dubiam existimat Vultej. *ad l. 1.*  
*n. 49. in fin. C. ubi Senator. vel Clariss.* ut Cæsareæ Majestatis & Sta-  
tuum Imperii decisione indigere statuatur. Putat tamen ipse *cod.*  
*loc.* cum eoque Petrus Frider. Mindanus *d. process. extrah. lib. 1.*  
*c. 10. n. 4.* has causas ad Austregarum judicium pertinere; in  
quam sententiam inclinat etiam Limn. *lib. 4. de jur. publ. c. 8. n. 96.*  
Alii Imperatorem; alii Camera hinc Judicem constituunt:  
alii Principes coram suis Consiliariis, conjunctis cum Theolo-  
gis, conveniendos arbitrantur; extra tamen Austregarum ordi-  
nationem. Vid. Reinking. *de regim. secul. & eccles. lib. 3. class. 1.*  
*c. 10. à n. 31. ad 52.* Cæterum omnes has opiniones ego falsas pro-  
nuntiare non dubito, cum Status Imperii quoad causas istas ma-  
rimoniales nullius jurisdictioni subjectos esse credam; nisi illi  
ipsimet vel Consiliariorum suorum & Theologorum, vel Con-  
sistorii sui, vel etiam aliorum judicio, se sponte & volenter ca-  
su eveniente submittant.

## VIII. Qui

VIII.

Quis sit Judex Principum & aliorum Immediatorum in causis criminalibus?

Petr. Frid. Mindan. *lib. 1. de process. extrah. c. 9. n. 1. & seqq.* hic judicem vult esse Cameram Imperialem, quoad illos scilicet Principes, qui non utuntur jure Austregarum; alioquin ad Austregas has causas pertinere docet. Et pro hoc Austregarum judicio pugnant quoque Matth. Steph. *de jurisdict. lib. 2. p. 1. c. 3. n. 46.* Ummius *disq. 4. ad process. judic. th. 10. n. 51.* Zigler. *ad pract. Calvalc. §. Austrega. conclus. 8.* quos refert & sequitur Limnæ. *de jure publ. lib. 9. c. 2. n. 63. & seqq.* Quam tamen opinionem cum aliis ego non immeritò rejecerim, Imperatori causarum istarum cognitionem competere verius arbitratus.

IX.

An Camera Imperialis habeat jurisdictionem ordinariam, vel delegatam?

Prius affirmo cum Gail. *1. Obs. 41. n. 5.* Mynsing. *consil. 24. n. 1. & 2. & consil. 94. n. 4. 5.* Matth. Steph. *lib. 2. de jurisd. part. 1. cap. 3. n. 27.* Paurmeister. *de jurisd. lib. 2. c. 6. n. 31.* Reinking. *de regim. secul. lib. 2. class. 2. cap. 14. num. 10.* & DD. communiter. Vid. Limnæ. *de jur. publ. lib. 9. c. 2. n. 56.* Posterius defendit Cranius *de pac. relig. part. 3. problem. 1. in connex. pag. 356.* à cujus opinione non admodum se abhorrere dicit Limnæ. *d. l. n. 58.* ait tamen, exercitii causâ se communem opinionem defendere.

X.

An Foederatæ Belgii Provinciæ ab Imperii subjectione rectè se exemerint?

Indubitata semper mihi visa fuit hæc quæstio, quam proinde ferè indignam judicavi ut inter majores controversias hic locum sibi vindicaret; sed cum eam à Limnæo negari videam *lib. 1. de jur. publ. cap. 9. n. 21.* non possum quin huic ipsius opinioni contradicam, & justissimæ Uniti Belgii Libertatis defensionem publicè impræsentiarum suscipiam.

EX

# EX JURE FEUDALI.

## Controv. I.

An vulgata Feudorum distributio in hereditaria & ex pacto ac providentia juri nostro sit consentanea?

Rectè hoc negandum censet Niell. *disp. feud. 1. th. 10. lit. b. Hotom. 1. Feud. 13. §. & si clientulus. Fachin. 7. contr. 3. Sigismund. Finckelthaus. disp. feud. 2. contr. 19. Dissentit cum multis aliis Rosenthal. in Synops. jur. feud. cap. 2. conclus. 33.*

## II.

An Feuda rectè dividantur in ligia & non ligia?

Communi equidem DD. suffragio recepta & approbata est ista divisio. vid. Kubach. *quest. illustr. cent. 1. decur. 10. q. 10.* ubi allegat Cujac. Sonsbec. Schneid. Borcholt. Niell. Vult. & Gædd. qui post multos alios relatâ isthac divisione utuntur; quam tamen ut commentitiam & Juri Feudali contrariam rectè repudiat Hotom. *disp. feud. cap. 7.* quamvis postea eodem cap. non satis sibi constare videatur, dum feuda ligia aliquid singulare & à reliquis feudorum speciebus diversum habere fatetur. Vide sis etiam contradictam divisionem disputantem Sigismund. Finkelthaus, *disp. 2. contr. 10.*

## III.

Si Feudum ita quis acquisiverit, ut in eo heredes ipsius masculi succedant cum foeminis; an foeminæ simul & unâ cum masculis succedere possint?

Affirmant Bald. *in l. quoties. 12. C. de suis & legit. hered. Dec. consil. 208. n. 3. Roland. à Valle 4. consil. 84. n. 10. Pistor. lib. 2. quest. part. poster. q. 35. n. 30. Clar. §. feudum. quest. 73. vers. & in hoc proposito.* & qui plures allegantur à Fachin. 7. contr. 43. Negant Curt. jun. *de feud. part. 3. n. 18. ac Duaren. de feud. cap. 10. num. 9.* qui tunc demum, quando masculi omnes defecerunt, foeminas ad successionem admittunt: & his ego assentior cum Fach. *contr. 43.*

## IV.

An legitimated per subsequens matrimonium succe-

E

dant in feudo, quod quis acquisivit pro filiis, qui ex legitimo matrimonio nati sunt?

*E. obiofa ff. huc. p. 6a.*

*Hic textus satis obstat.*

Naturales filios per sublequens matrimonium legitimos effectos in feudis succedere communis DD. sententia est; sed an idem asserendum sit, si feudum sit concessum filiis ex legitimo matrimonio natis, non parvam controversiam esse dicit Fach. 7. *contr.* 51. adducitque pro affirmante sententia Andr. Ifern. 2. F. 26. *S. naturales. n. 8. & seq.* Castr. in l. f. C. de his, qui ven. et. impetr. Dec. *consil.* 155. n. 4. Covarruv. 4. *Decret.* p. 2. c. 8. *S. 2.* Pistor. *quest. jur. lib. 2. part. poster. q. 41.* Pro negante autem Bald. 2. F. 26. d. *S. naturales. n. 5.* Alex. 7. *conf.* 5. *ad fin.* Roland. à Valle 2. *consil.* 100. n. 39. aliosque plures; sed ipse priorem sententiam, quæ legitimationi favet, rationi juris convenientiorem rectissime arbitratur.

V.

An Pater ex bonis feudalibus filii fam. usum fructum sibi vindicare queat?

Certi & explorati juris est filium f. quævis donata & sic consequenter etiam feuda, quæ à Principe ipsi obveniunt, pleno jure sibi acquirere, ita ut etiam usus fr. eorum ad ipsum pertineat: idemq; jus obtinere in iis feudis ac bonis, quæ procedunt ex peculio castrensi vel quasi, vel etiam adventitio illo, in quo filios. plena proprietas expressè concessa est, itidem dubium non habet. Ast verò extra hosce casus non parum controversitur, an feudum à filio acquisitum pleno jure ad ipsum pertineat, vel an is patri quoad vixerit ex eo usum fructum debeat? Illud affirmant DD. communiter, ut videre est apud Fach. 7. *contr.* 77. Hoc affirmant Sonsbec. *de feud. part.* 7. n. 8. & seq. Fachin. *modò relat. loc.* & Niell. *de feud. disp.* 2. th. 5. lit. d. ubi hanc sententiam verisimam dicere non dubitat. Cæterum ego veriolem adhuc censuerim priorem communem opinionem cum Sigism. Finkelthaus. disp. de feud. 5. contr. 20.

*Ob. qd. pater in adventitio filii bonis usum fructum habet l. i. C. de bon. matrem l. 6. C. de bon. q. libar. et l. ult. C. de usufr.*

*Finis à solo pateri allodii non sunt feudales, ff. de feud. 2. Feud. q. 5.*

VI.

An Feudum Camere & Cavenæ transeat ad hæredes? Feuda Guardia, Castaldia, Soldatæ & Advocatiæ, temporalia esse constat, quæ vel annali tempore vel morte Domini aut mi-

aut militis extinguuntur. Sed an feudum Camerae & Cavenae, seu canevae, ad heredes transeat, quaesitum est. Negant hoc DD. plerique, inter quos sunt Vultej. 1. F. 8. & Borcholt. d. feud. c. 4. n. 29. qui feudum hoc Camerae & Cavenae à feudo Soldatae, quod morte dantis vel accipientis finiri dicitur. 2. F. 10. in fin. nihil distare arbitrantur. Verum posthabitâ hac illorum sententiâ contrariam rectius tuetur Finkelthaus. disp. feud. 2. contr. 22. quem latius ibidem vide, *junct. contr. seq.*

### VII.

An Foemina per masculum à Feudi successione semel exclusa in perpetuum exclusa maneat?

Ajentem sententiam communis probat DD. calculus, teste Niell. disp. feud. 5. th. 4. lit. c. quam sequuntur Bocer. de jure succed. in feud. cap. 3. quaest. 4. & Fach. 7. contr. 45. Negantem autem rectius defendit Pistor. 2. quaest. 63. & latisimè Vultej. de feud. part. 1. cap. 9. n. 51. & seqq. Niell. d. disp. 5. th. 4. in fin. Finkelthaus. disp. 6. q. 27. & secundum hanc Collegium Marpurgen- sium & Witebergensium, nec non Facultas Juridica Lipsiensis olim respondit Anno 1557. Vid. Vult. cit. loc. n. 16. Heig. part. 1. quaest. 26. n. 9. & Finckelth. d. q. 27.

### VIII.

Si Vasallus uxorem vel sponsam Domini fuerit oscu- latus, an hac propter feudo privari debeat?

Fidelem Dominum cucurbitantem, vel etiam turpiter cum ejus uxore ludentem, feudum amittere constitutum est 1. F. 5. quod ipsum an etiam obtineat, si fortè uxori vel sponsae ipsius osculum dederit, à nonnullis disputatum video. Placet autem sententia Sigismundi Finkelthaus. disp. feud. 10. contr. 10. lit. b. distinguentis inter Italos, Hispanos & plerosque Germanos, quibus osculum amatorium ac criminofum habetur, interque Gallos, Belgas & his viciniore Germaniae populos, apud quos id omni culpâ ac crimine vacare constat, ita ut apud illos, non etiam apud hos, Vasallo propterea feudum auferri possit. Quod tamen adhuc limitant Canonistae in Vasallo Clerico: is enim, inquiunt, osculans uxorem Domini, non libidinis, sed bene- dictionis imprimendae causâ hoc facere praesumitur. gl. in c. ab- sit. 11.

68  
fit. II. q. 3. Sed hanc Canonistarum limitationem mirabilem vocat Finkelthaus. *d. loc.* quod Clericus solus cum muliere sola existens in angulo, non præsumatur esse angelus, aut orare pater noster. Schrader. *de feud. p. 9. c. 2. n. 87. & seqq.* & proinde ut frivolum ac futilem limitationem istam non immerito rejicit.

IX.

An Vasallo feloniam committente adversus Dominum Feudum Antiquum irrevocabiler ad eum redeat, ita ut nec post mortem delinquentis Agnati illud repetere queant?

Affirmant Bald. 2. F. 24. S. deniq. ult. Zas. *de feud. part. 10. vers. quarta conclusio.* Alexand. 6. consil. 30. n. 9. aliique quam plurimi, quos refert & sequitur Fach. 6. contr. 22. Contrarium planè statuit gl. in c. uni. F. 8. S. 1. v. partem suam. & 2. F. 31. in fin. Hostiens. in summa. tit. de feud. & Clar. in S. feudum. quest. 66 vers. sed si feudum. qui docent per delictum Vasalli nunquam agnatis præjudicari, sed feudum Clientulo ademptum, statim & rectè ad ipsos devolvi, domino indistinctè & simpliciter excluso. Verum rectius & æquius mediam sententiam tenent Cujac. *de feud. lib. 3. tit. 2. & lib. 4. tit. 78.* & latè Pistor. *lib. 2. quest. part. 1. q. 15. n. 32. usq. ad fin.* Menoch. 4. consil. 304. n. 35. & 6. consil. 534. n. 14. docentes, feudum quidem ob dictam feloniam Domino aperiri ac apud eum manere usque ad mortem delinquentis, sed eo defuncto, agnatis restituendum fore.

X.

An interdictum Unde vi Vasallo contra Dominum competat?

Affirmativam sententiam communiorem & receptiorem esse testatur Finkelthaus. *illustr. contr. feudal. disp. 11. contr. 1.* Negativam tamen æquiorè & rationi juris Civilis & textui feudali convenientiorem existimat: in quam sententiam quoque ego descendo, simulq; Inauguralium harum Controversiarum telam abrumpo.

SOLI TRIUNI DEO SIT SEMPITERNA LAUS  
ET GLORIA AC GRATIARUM ACTIO.

F I N I S.

Basel, Diss., 1660-65


ULB Halle 3  
003 865 290



56

V17









B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

24.9  
ECT Æ, 1662,3

INO,

CIVILL,  
EUDALI

ESIDIO

*Nobilissimi,  
Fctorum*

*antiqua  
ia,*

RIVILEGIIS  
Cæsareo &  
egitimè

G E N A

CLXII.

DECKERI,

22

52

